

tia; in confessione omnia lavantur, in obedientia virtutes solidantur. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & justum reddit purgatiorem. Si peccata sunt, in confessione lavantur; si bona, confessione commendantur: cum mala tua confiteris, sacrificium Deo spiritus contribulatus: cum Dei beneficia, immolas Deo sacrificium laudis: absque confessione justus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur: Confessio igitur est peccatoris vita, justî gloria. (*Serm. 40. Ibid.*)

CXLIII. Post cognitionem sui, post poenitentiam mentis, post dolorem cordis, sequitur confessio oris. In his omnibus corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Sed & ipsa triplex est, si virtutem salutis adsequitur, debet enim esse vera, nuda & propria... An tu veram illam putas esse confessionem, quam aut timor extorsit, aut simulatio fecit: *cum Spiritus Sanctus disciplinæ effugiat fictum*, & gratuitam satisfactionem Omnipotens quærat? illa vero confessio vera est, quæ de mentis contritione descendens, nec timore cogitur, nec fictione palliatur; sed in spiritu contribulato profert ea quæ sentit. Nudam autem eam esse oportet, & totius absconsionis exutam velamine; quid enim prodest, partem peccatorum dicere, & partem celare; ex parte mundari, & ex parte immunditiæ deservire?... Ostende, & denuda quæcumque cor tuum dilacerant: detege vulnus, ut sentias operam medicantis. *In simplicitate cordis oportet te quærere Dominum, non in duplicitate; quia vae illis qui loquuntur in corde, & terram duabus viis ingrediuntur.* Debet autem esse propria: sunt plerique qui aliorum peccata cum magna gravitate numerant, & sociorum excessus multiformi declamatione loquuntur: nesciunt sua, aliena vero perpetuæ memoriæ commendaverunt. Infelices & miseri, quibus datum est aliena plangere, relinquere sua... Quintus gradus est maceratio carnis; sed & ipsa ternario numero consecrata. Convenit enim ut fiat occulte, licentiose, discrete: teneros artus tuos & exquisitis educatos deliciis diuturno confringe

martyrio, ut tanto te noveris à licitis abstinere, quanto memineris illicita perpetrasse. Hoc autem occulte faciendum est... Licentiose vero facienda est, quia quidquid fit Pastoris licentia, gratiosius est in conspectu Dei; & illam Hostiam singulariter accipit altissimus, quæ non est de propria sententia voluntatis, sed de præcipientis offertur imperio. Multum enim valet ad refellendam superbiam propriæ voluntatis exclusio, quam extirpare non potest qui mundi hujus diligit vanitatem. Discretio autem in hac districtione tenenda est, ne dum nimis flagellare cupimus, salutem perdamus; & dum hostem subigere quærimus, civem occidamus: considera corpus tuum & corporis tui passibilitatem, intuere carnis complexionem, impone modum tuæ districtioni. Custodi corpus tuum incolume ad obsequium Creatoris. Multos vidimus ita in principiis carnem suam verberasse, & discretionis infregisse repagula, ut inhabiles laudum solemnibus redderentur, & lautioribus diutius diuturnis foverentur temporibus. (*Ibid.*)

CXLIV. Vera est enim illa sententia: qui cum emendare possit, negligit, participem se proculdubio constituit. Cum enim causa Dei ventilatur in medium, & falsitas præponitur veritati, qui cum persona quam gerit, non resistit, de suo damnabitur silentio. (*Ibidem.*)

CXLV. Certam igitur regulam tene, ut nec imperio prælatorum bona relinquas, vel facias mala. Inter summe vero mala, & summe bona, quædam media sunt ad alterutrum se habentia, & boni, malique nomen assumunt. Media sunt ambulare, sedere, loqui, tacere, comedere, jejunare, vigilare, dormire, & si quæ sunt similia: quæ si Pastoris licentia fiant, summam expectant retributionem. In his igitur mediis subiti & obediens esse debemus ad nutum præpositorum, nihil interrogantes propter conscientiam: quia in his nullum præfixit opus Dei, sed prælatorum dereliquit imperio disponenda. Non autem te moveat Magister imperitus, indiscreta potestas, sed memento quia non est potestas nisi à Deo, & qui resistit potestati, retistit

Dei ordinationi. Hæc est propria hominis obedientia quam homini debemus, qui homini subditi sumus. Communis est etiam ista inter Deum & hominem: quia quidquid obedientiæ prælati exhibetur, ei exhibetur, qui dicit: *Qui vos audit, me audit.* (Serm. 41. Ibid.)

CXLVI. Est fides alia præceptorum, alia signorum, alia promissorum: id est, qua credimus in Deum, qua credimus Deo. Per fidem præceptorum, credimus in Deum. Credere autem in Deum, est in eum sperare, & eum diligere. Per fidem signorum credimus Deum qui talia potest, & omnia potest. Per fides promissorum credimus Deo qui quidquid promittit, veraciter complet. Similiter quoque spes est triplex, & procedit de prædicta triplici fide. Nam de fide præceptorum oritur spes veniæ: de fide signorum spes gratiæ: de fide promissorum spes gloriæ. Charitas itidem triplex est, de corde puro, & de conscientia bona, & fide non ficta; puritatem debemus proximo; conscientiam nobis; fidem Deo; puritas autem est, ut quidquid agitur, aut ad utilitatem proximi, aut ad honorem fiat Dei... conscientiam bonam faciunt in nobis duo, poenitentia & continentia, quando scilicet per poenitentiam peccata commissa punimus, & per continentiam deinceps punienda non committimus, & hanc debemus nobis. Post hæc superest fides non ficta, quæ Deo vigilanter exhibenda est; ut nec propter proximum, cui nos impendimus, offendamus Deum; nec propter conscientiam, quam per poenitentiam & continentiam in humilitate custodire volumus, minus exequamur mandatorum Dei obedientiam; & hæc est fides non ficta; non ficta autem ponitur ad differentiam mortuæ fidei & fictæ. Mortua fides est quæ sine operibus est: fides ficta quæ ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit; unde etiam ficta, id est, fragilis dicitur. (Serm. 45. Ibid.)

CXLVII. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulavit, & ipse ambulare.* Descendamus per viam humilitatis; ponaturque nobis primus ejus gradus, id est, primus pro-

fectus, nolle dominari; secundus velle subijci; tertius in ipsa subiectione quaslibet contumelias & injurias illatas æquanimiter pati. (Serm. 60. Ibid.)

CXLVIII. Quidam sunt qui non sequuntur Christum, sed fugiunt. Alii non sequuntur, sed præeunt. Nonnulli sequuntur, sed non assequuntur. Alii vero sequuntur, & consequuntur. Non sequuntur, sed fugiunt, qui necdum peccare desistunt... non sequuntur, sed præeunt, qui magistrorum sententiis suas præferunt, quorum imaginem tenebat Petrus, cum pro salute nostra volentem pati Dominum increparet dicens: *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc*: sequuntur, sed non assequuntur, qui segniter ac remisse agunt, vel usque ad finem non perseverantes, de medio itinere revertuntur. Sequuntur, & consequuntur, qui viam humilitatis ejus devoto mentis affectu perseveranter imitantur. (Serm. 62. Ibid.)

CXLIX. *Me expectant justi, donec retribuas mihi.* Et item: *Me expectaverunt peccatores, ut penderent me.* Hinc mihi gehenna, inde corona paratur: & inter hanc atque illam medium nugari libet, oscitare delectat: usque adeo nec trahor desiderio, nec periculo terreor, nec cupidus plane, nec pavidus, in quibus magis fuerat necessarium. Perniciosissime insensibilis ad utrumque! (Serm. 70. Ibid.)

CL. *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*, id est, qui in sanguine perseverant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur à peccatis, antequam deserant ea, non magna talium conventicula congregabo. Si bene memini, in toto canone scripturarum unum latronem invenies sic salvatum. Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum. (Serm. 75. Ibid.)

CLI. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Triplex nobis necessaria est benedictio, præveniens, adjuvans & consummans. Prima misericordiæ; secunda gratiæ; tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversationem, perficit gloria consummationem: nisi trinam hanc

benedictionem dederit Deus, non poterit dare terra nostra fructum salutis. (*Serm. 76. Ibidem.*)

CLII. *Mel invenisti? noli multum comedere, ne forte satiatus evomas illud.* Potest non incongrue hoc loco, mellis nomine, favor humanæ laudis intelligi. Meritoque non ab omni, sed immoderato mellis hujus edulio prohibemur. Est enim cum utiliter humanas laudes recipimus, fraternæ duntaxat intuitu charitatis, & ad salutem eorum qui nobis propterea facilius acquiescunt. Hac ergo parcitate servata, mellis hujus moderata comestio non nocebit. Si quid vero amplius est, à malo est, & in perniciem convertetur. (*Serm. 83. Ibid.*)

Sermones in Cantica Canticorum.

CLIII. Tanto minus vile divinis apparebit conspectibus *cor contritum*, quanto plus sibi illa *anima peccatrix* viluerit in recordatione peccatorum suorum. (*Serm. 10. in Cant. Cant.*)

CLIV. Suadeo vobis reflectere interdum pedem à molesta & anxia recordatione viarumstrarum, & evadere in itinera planiora serenioris memoriæ beneficiorum Dei, ut qui in vobis confundimini, ipsius intuitu respiretis. Volo vos experiri illud quod Sanctus Propheta consulit dicens: *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Et quidem necessarius dolor pro peccatis, sed si non sit continuus. Sane interpoletur latiori recordatione divinæ beneficentiæ, ne forte præ tristitia induretur cor, & desperatione plus pereat. Misceamus absinthio mel, ut salubris amaritudo salutem tunc dare possit, cum immixto temperata dulciore bibi poterit. (*Serm. 11. Ibidem.*)

CLV. Duo ergo illa sunt in opere redemptionis, *modus & fructus*. Et modus quidem Dei exinanitio est, fructus vero, nostri de illo repletio. Hoc meditari, sanctæ spei seminarium est, illud summi amoris incentivum. Utrumque profectibus nostris necessarium, ne aut spes mercenaria sit, si amor non comitetur, aut amor tepescat, si infructuosus putetur. (*Ibid.*)

CLVI. Fratres, revereamur Episcopos, sed vereamur labores eorum. Si labores pensamus, non affectamus honores. Agnoscamus impares vires nostras, nec delectet molles & foemineos humeros, virorum supponere sarcinis, nec observemus eos, sed honoremus. (*Ibid.*)

CLVII. Magna & rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare; hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. (*Serm. 13. Ibid.*)

CLVIII. Nemo vestrum velit laudari in hac vita: quia quidquid hic favoris captas quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim unde gloria, putide pulvis, tibi unde? de vitæ sanctitate? sed spiritus est qui sanctificat, spiritus dico, non tuus, sed Dei. Et si prodigiis aut signis effulgeas, in manu tua fiunt; sed & virtute Dei. An blanditur popularis favor quod verbum bonum & forte bene deprompseris? Sed Christus donavit os & sapientiam. Nam lingua tua quid nisi calamus Scribæ? & hoc ipsum mutuo accepisti talentum, creditum est, repetendum cum usura. Si inventus fueris ad opus impiger, ad fructum referendum fidelis, pro labore tuo mercedem accipies. Si quominus, tolletur à te talentum, & nihilominus exigetur lucrum, & vocaberis servus nequam & piger. Omnibus igitur de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis referatur ad ipsum laus, laudabilium siquidem universorum authorem & largitorem. (*Ibid.*)

CLIX. Ecce Christus, ecce Jesus, utrumque infusum Angelis, utrumque effusum in homines, & illos homines qui computruerant tanquam jumenta in stercore suo, homines & juventa salvans, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam Deus. Quam carum, quam vile! Vile, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur. Si salubre non esset, non me lucraretur. Particeps nominis sum, sum & hæreditatis; Christianus sum, frater Christi sum. Si sum quod dico, hæres sum Dei, cohæres autem Christi. Et quid mirum si sponsi effusum

est nomen, cum ipse quoque effusus sit? nam semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Nam denique ait, *sicut aqua effusus sum*. Effussa est plenitudo divinitatis, habitans super terram corporaliter, ut de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, caperemus, ac vitali odore repleti, diceremus: *oleum effusum nomen tuum*. (Serm. 15. *Ibid.*)

CLX. Non tantum lux est nomen Jesu, sed est & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? quid aequae mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat sensus: virtutes roborat; vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? aridus est omnis animae cibus, si non oleo isto infunditur. Inspidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi ibi legero Jesum. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor Jesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperandum? nonne si invocet nomen vitae, confestim respirabit ad vitam? cul in adversis diffidenti, jam jamque deficienti, si nomen adjutoris sonnit, defuit fortitudo? nimirum morbi & languores animae isti sunt, illud medicina. Denique & probare licet. *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me*. Nihil ita irae impetum cohibet, superbiae tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriae fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiae, ac totius indecoris fugat pruriginem. (*Ibid.*)

CLXI. Quod si segnior forte suas partes minus exequitur pudor, timor sane excitetur in adiutorium. Excitetur ut excitet. Sepone parum pia vocabula benefactoris & Patris, atque ad austeriora convertere. Nempe qui legitur Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, legitur nihilominus Deus ultionum Dominus. Legitur Deus Judex justus & fortis. Legitur terribilis in consiliis super filios hominum. Legitur Deus zelans.

(Ibid.)

2 338

Quod Pater est, quod beneficus est, tibi est; quod Dominus ac Creator, sibi. Etenim propter semetipsum fecit omnia, teste Scriptura. Qui ergo quod tuum est tibi defendit & servat, putas & pro se aliquando non zelabit, putas sui non requiret principatus honorem? (Serm. 16. *Ibid.*)

CLXII. Est confessio eo periculosius noxia, quo subtilius vana, cum ipsa etiam inhonesta & turpia de nobis detegere non veremur, non quia humiles sumus, sed ut esse putemur. Appetere autem de humilitate laudem, humilitatis est non virtus, sed subversio. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis praedicari: gaudet contemptu sui. Hoc solo sane superbus, quod laudes contemnit. (*Ibid.*)

CLXIII. Quod tuum est spargis, & perdis, si prius quam infundaris, tu totus semiplenus festines effundere... si sapis, concham te exhibebis, & non canalem. Hic siquidem penes simul recipit & refundit. Illa vero donec impleatur expectat; & sic quod superabundat sine suo damno communicat, sciens maledictum qui partem suam facit deteriore. (Serm. 18. *Ibid.*)

CLXIV. Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit, & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Denique quid est homo, nisi quia tu innovisti ei? propter temetipsum Deus fecisti omnia; & qui vult esse sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. (Serm. 20. *Ibid.*)

CLXV. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmat constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus, nec teporem habeat, nec careat discretionem, nec timidus sit. (*Ibidem.*)

CLXVI. *Traham te post te: in odorem unguentorum tuorum curremus*: Quid? Sponsa ne ergo necesse habet trahi, & hoc post Sponsam? quasi vero invita eum & non libens sequatur. Sed non omnis qui trahitur, invitatus trahitur: nec enim infirmum, aut debilem, eum videlicet qui per se ire non valet trahi ad balneum seu prandium piget, etsi eum piget trahi ad judicium.

cium vel ad poenam. Denique trahi vult quæ & ipsa rogat hoc. Non autem rogaret, si sequi per seipsam dilectum, prout veller, valeret. (*Serm. 21. Ibid.*)

CLXVII. In die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum cum Propheta, & dic: *cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Porro in tempore tentationis consolare, & dic cum sponsa: *Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum curremus.* Sic te non deseret spes in tempore malo, nec in bono providentia deerit, erisque inter adversa & prospera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem & inconcussam constantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore. (*Ibid.*)

CLXVIII. Audiant hoc Prælati qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro. Erudimini qui iudicatis terram. Discite subditorum matres vos esse debere, non Dominos. Studete magis amari quam metui. Et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid jugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis? cur morsus à serpente parvulus, fugit conscientiam Sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris? si spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans unusquisque seipsum, ne & ipse tentetur. Alioquin ille in peccato suo morietur; sanguinem autem ejus, ait de manu tua requiram. (*Serm. 29. Ibi*)

CLXIX. Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis quæ sufficere debeant minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant: & in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur. (*Ibid.*)

CLIX. Omnis qui detrahit... seipsum prodit vacuum charitate: deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut his, cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis, apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus qui se audiunt, lingua maledica: & quantum in se est, necat funditus & extinguit: non solum autem, sed & in absentibus universis, ad quos volans verbum forte per eos, qui præseates sunt, pervenire contigerit. (*Serm. 24. Ibid.*)

CLXX. Et quidem prudentius animam perdis ut custodias, quam custodis ut perdas. *Nam qui voluerit animam suam salvam faceret, perdet eam.* Quid hic vos dicitis ciborum observatores, morum neglectores? Hippocrates & sequaces ejus docent animas salvas facere in hoc mundo: Christus, & ejus Discipuli perdere.... Qui amat animam suam perdet eam, dixit, sive ponendo ut Martyr, sive affligendo ut poenitens. Quanquam genus Martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. (*Serm. 30. Ibidem.*)

